

one, fictaque putrefactione atque Corruptione tueri conati fuissent: quemadmodum illud apud rerum imperitos cottidie videre est, qui falsa sua inquinacione omnia sua bona dilapidant: id quod omne per pseudo-libros chemicos fit, qui de falsis regiminibus, naturæ minime conformibus, falso docere solent.

Istiusmodi inutilibus, minusque necessariis cum Processibus veris Chemicis nihil omnino quicquam intercedit commercij, sed reuerendam illi Naturam sequuntur, quemadmodum ea illud in terræ venis comparat, idque absque solutione, coagulatione, putrefactione, quod tamen in seipso admodum simplex est. Considera enim & perpende tecum, obsecro, mi amice, tot instrumenta, alembicos, Retorturas, vitra circularia & sublimatoria, diuersimodos ignes, variasque materias, num videlicet in terræ venis reperiantur, in qua metalla virent atque crescunt, & an natura in ipsis, iam modo dictis, terræ venis tot diuersosque alembicos, vel vitra, totque materias, utpote atramentum sutorium, sal, arsenicum, Mercurium, sulphur, aliasque ridiculas ineptias, quæ heic studio sicco pede prætereuntur, vsurpet, quemadmodum Chimici iisdem vtuntur, quibus & tempus, & fortunas suas præpostero prorsus modo turpiter amittunt: eapropter etiam haud immerito rerum imperiti illi appellandi sunt, cum cottidie in Chimia sese exercent, & nihilominus tamen turpibus suis solutionibus, coagulationibus, distillationibus, putrefactionibus, & id genus aliis nullius pretij friuolisque rebus perseuerent, atque ita tempus fortunasque suas, uti diximus, temere insumant, cum natura tam simplex fiet, laboremque suum itidem simpliciter